Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

QVS

Similiter et summi sacerdotes illudentes ad alterutrum cum scribis dicebant. Alios saluos fecit. Se ipsum non potest saluum facere. Xpi rex israel. descendat nunc de cruce ut uideamus et credamus. Et qui cum eo crucifixi fuerant conuituabant ei. Et facta hora sexta tenebre facte sunt super totam terram usque in horam nonam. Et hora nona exclamauit ihesus uoce magna dicens. heloy heloy lama zaphtani Quod est interpretatum. Deus meus. Deus meus. Vt quid dereliquisti me. Et quidam de curiosis stantibus audientes dixerunt. Ecce helyam uocat. Currens autem unus et implens spongiam aceto circumponens calamo potum dabat ei dicens. Sinite. uideamus si ueniat helyas ad deponendum eum. Ihesus autem emissa uoce magna expirauit. Et uelum templi scissum est in duo. a summo usque deorsum. Videns autem centurio qui ex aduerso stabat quia sic clamans expirasset ait. Vere hic homo filius dei erat. Erant autem et mulieres de longe aspicientes inter quas erat maria magdalene et maria iacobi minoris et ioseph mater et salome. Et cum esset in galilea sequebantur eum. et ministrabant ei. Et alie multe que simul cum eo ascendant

Et cum iam. Sero factum esset. Distinctio quia erat parasceue quod est ante sabbatum. uenit ioseph abarimathia nobilis decurio qui et ipse erat expectans regnum dei. Et audacter introuit ad pylatum et petiit corpus ihesu. Pylatus autem mirabatur si iam obisset. Et accersito centurione interrogauit eum si iam mortuus esset. Et cum cognouisset a centurione donauit corpus ihesu. Ioseph autem mercatus syndonem deponens eum inuolut in syndone. et posuit eum in monumento quod erat excisum de petra. Et aduolut lapidem ad ostium monumenti. Maria autem magdalene. et maria ioseph aspiciebant ubi poneretur

XVI

Et cum transisset sabbatum maria magdalene et maria iacobi. et salome emerunt aromata. ut uenientes ungerent ihesum. Et ualde mane una sabbatorum ueniunt ad monumentum orto iam sole. Et dicebant ad inuicem Quis reuoluet nobis lapidem ab hostio monumenti. Et respicientes uiderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus ualde. Et introeuntes in monumentum uiderunt iuuenem sedentem in dexteris coopertum stola candida et obstupuerunt. Qui dicit illis. Nolite expauescere. Ihesum quaeritis nazarenum crucifixum. Surrexit non est hic. Ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite dicite discipulis eius et petro. quia precedet uos in galileam. Ibi eum uidebitis sicut dixit uobis. At ille exeuntes

228